Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

amittet eternitatem suam. Quantum enim ad id quod ortum est eternitas valet, tantum ad fidem veritas. Ita ergo nos purgari oportebat ut ille nobis fieret ortus qui maneret eternus, ne alter nobis esset in fide, alter in veritate. Nec ab eo quod orti sumus ad eterna transire possemus nisi eterno per ortum nostrum nobis sociato ad eternitatem ipsius traiceremur. Nunc itaque illuc quodammodo secuta est fides nostra quo ascendit in quem credidimus ortus, mortuus, resuscitatus, assumptus. De his quattuor duo priora noveramus in nobis. Scimus enim homines et oriri et mori. Duo autem reliqua, id est resuscitari et assumi, iuste in nobis futura speramus quia in illo facta credimus. Itaque in illo quia et id quod ortum erat transiit ad eternitatem, transiturum est et nostrum cum fides pervenerit ad veritatem. Iam enim credentibus ut in verbo fidei manerent, et inde ad veritatem ac per hoc ad eternitatem perducti a morte liberarentur, ita loquitur: Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis. Et quasi quererent quo fructu, secutus ait: Et cognoscetis veritatem. Et rursus quasi diceret: Quid prodest mortalibus veritas? Et veritas, inquit, liberabit vos. Unde nisi a morte, a corruptione, a mutabilitate? Veritas quippe immortalis, incorrupta, incommutabilis permanet. Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas ipsa est eternitas.

De missione filii dei qui in forma servi patri factus est minor cum in forma dei patri permaneret equalis. XVIIII.

Ecce ad quod missus est filius dei, immo vero ecce quod est missum esse filium dei. Quecumque propter faciendam fidem qua mundaremur ad contemplandam veritatem in rebus ortis ab eternitate prolatis et ad eternitatem relatis temporaliter gesta sunt, aut testimonia missionis huius fuerunt aut ipsa missio filii dei. Sed testimonia quedam venturum prenuntiaverunt, quedam venisse testata sunt. Factum quippe creaturam per quem facta est omnis creatura, omnem creaturam testem habere oportebat. Nisi enim multis missis predicaretur unus, non multis mitteretur unus. Et nisi talia essent testimonia que parvis magna esse viderentur, non crederetur ille ita magnus ut magnos faceret, magnus qui ad parvos missus est parvus.